

Johann Fecht

**Johann. Fechtius ... Universitatis Rostochiensis Pro-Rector Ad Exeqvias ... Evaे Goldsteniae ... Viri, Dn. Joach. Lindemann, Archidiac. Qvondam Mariani Optime Meriti ... Viduae, Qvas Beate Defunctae Necessarii Ad Diem XIX. Augusti Parabunt, Omnes omnium ordinum Cives Academicos qva par est humanitate invitat : [Scr. Rostochi[i] Sub Sigillo Rectoratus Academicici, d. XIX. August. MDCCI.]**

Rostochii: Wepplingius, [1701]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn755496469>

Druck    Freier  Zugang



F e e h t , J. ,  
in E. Goldsten ,  
uxor. J. Lindemann.

R. 1701.

16.









64  
44.  
**JOHANN. FECHTIUS,**

P. CONSISTOR. DUC. ADSESSORET  
DISTRICT. ROSTOCH. SUPERINT.

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

**PRO-RECTOR,**

AD EXEQVIAS

CONDECORATISSIMÆ OMNIUM VIRTUTUM  
ORNAMENTIS FOEMINÆ,

**EVÆ GOLD-  
STENIÆ,**

PLURIMUM REV. & PRÆCLARISS. VIRI,

**DN. JOACH. LINDEMANNI,**

ARCHIDIAC. QVONDAM MARIANI OPTIME  
MERITI, NUNC INTER COELITES AGENTIS,

**VIDUÆ,**

QVAS BEATE DEFUNCTÆ NECESSARII AD  
DIEM XIX. AUGUSTI PARABUNT,


*Omnes omnium ordinum Cives Academicos*

*quæ par est humanitate  
invitati;*



ROSTOCHII,

Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.



ondum præteriit qv-  
triduum , cum Ecclesiæ mini-  
strum , in ipso ætatis flore ex-  
tinguitum , summo cum dolore  
nostro tumulavimus , nunc in-  
dicendum funus est fœminæ , il-  
lum etiam annum egressæ , qvem  
ceu vitæ terminum conservatum  
qvasi & qvotidianum jam olim posuit Moses . Qvan-  
do juvenes obeunt diem , qvi vix ætatis suæ fructus  
explicare in publicum coeperunt , aliquid quasi vio-  
lenti intervenit , à quo humanæ aures , cum id pri-  
mum narratur , abhorrent , cum senes finiunt , qvi jam  
diu infirmo & vacillanti pede incesserunt , accidit , qvod  
in maturis pomis consuevit , qvæ levissimus decutit  
ventus . Ad hos casus , tanquam rerum naturæ con-  
venientes , nostro judicio facile acqviescimus . Vi-  
demus enim , hos tales & egisse pueritiam & ex pue-  
ritiâ transgressos esse in adolescentiam & qvicquid in  
hac boni laudatiqve est , ingenio industriâqve com-  
prehendisse ; adolescentiæ successisse juventutem , ubi  
cum maturescere inceperunt primorum conatu fru-  
etus

Etus, virilis ætas insecura est, in qvâ amplissimam vi-  
tæ humanæ messem per plurimos annos exposue-  
runt. Hic in suum quasi locum substituerunt filios  
filiasq; , nepotes & neptes, & ingruente senio paulas-  
tim decedere ex hoc mundo videntur , qvia post sene-  
citudinem nihil amplius superest , qvod agant. Igitur  
eò pervenerunt ætatis , qvod neqve gradum annorum  
amplius ullum , neqve rerum in eo gerendarum ma-  
teriam, sed proprium sibi terminum habet , mortem.  
In qvâ ipsâ tamen minimè inglorii decedunt, qvemad-  
modum & in militiâ & in civili vitâ gloriosum qvam  
maximè est, per omnes gradus ordinesq; ad amplissi-  
mas eminentissimasqve dignitates processisse. Qui  
enim ubique personas suas decenter & laudabiliter  
agunt , qvot ætatis transeunt gradus , tot gloriæ & in-  
clyti nominis adoreras conseqvuntur. Id de matronâ,  
qvæ tertio & septuagesimo ætatis suæ anno ex vivis ex-  
cessit & cujus supremo honori præfens hoc encomi-  
um paramus , verissimè dicere possumus. Nihil lau-  
dis est , qvin in qualibet ætatis suæ periodo fuerit ad-  
epta. Nihil uspiam virtutis , qvæ vel puellam vel  
virginem vel fœminam vel anum , inclytam & omni-  
bus amabilem reddere poterat , ei defuit. Quid igitur  
æquius est , qvam talis tantæqve fœminæ vitam , vi-  
vis coloribus tanqvam in imagine depictam , in exem-  
plum aliis , eandem viam ingressuris , ob oculos pro-  
poni ? Cum exempla effigiecius moveant qvam præ-  
cepta & experienciâ edoceamur , repræsentatis homi-  
num omni virtutum genere illustrium ideis plures  
revocatos ad frugem , ad parem vel majorem etiam  
adspirasse gloriam. Nata est igitur EVA nostra,

A 2

qvæ

qvæ inter cœlites nunc dedit, Rostochii die IX. Martii anno recuperatae per Christum salutis MDCXXIX. Parentem habuit M. JOANNEM GOLDSTEINIUM, Ruthenâ Westphalum, Ecclesiæ apud nos Nicolaitanæ qvondam Pastorem, ut & R. Ministerii Seniorem ac Superintendentem, laboribus in Ecclesiæ suam exantlatis, indefessâ pro grege suo cura & meritis in sacrorum gubernatione sibi comparatis adhuc hodie cunctis venerabilem. Matrem naæta est DOROTHEAM ALLWARTS, omni virtutum apparatu, qvæ sexum fœmineum ornant, conspicuam. Avus Paternus ei extitit HEINRICUS GOLDSTEIN, Civis Ruthenensis honestissimus. Avia Paterna EVA TRIPPEN. Avus maternus JACOBUS ALLWARD, Civis, Cerevisarius & Mercator, Ecclesiæque S. Nicolao qvondam dicatæ Ædilis. Avia materna CATHARINA DUNCKER, soror M. ANDREÆ DUNCKERI, Ecclesiæ qvondam ad S. Petrum Pastoris. Vix sextum annum ingressa EVA nostra parentem optimum amisit, insigni qvidem jacturâ, sed qvæ paulo post compensata est per secundum, contractum à matre, conjugium, verè secundum, felix & exoptatum. Naæta enim novum est maritū, M. REMBERTUM SANDHAGENIUM, ex Guestphaliâ pariter oriundum, Ecclesiæ Nicolaitanæ primò Diaconum, mox Pastorem, denique R. Ministerii Seniorem atque Directorem, cuius ob pietatem & res præclaræ in Ecclesiæ salutem gestas grata adhuc apud omnes memoria supereft. Is verò non vitrici, sed genuini Parentis officium EVÆ nostræ præstans, eandem ad pietatem

svp

præ;

præcipue, deinde ad ea, qvæ muliebrem sexum decōr-  
rant, sedulò atqve sollicitè e duxit. Et eò qvidem fa-  
cilius hoc fieri poterat, qvo præclariorē ex paren-  
tibus hauserat duxeratqve indolem, omnis virginea  
laudis capacissimam. Qvam disciplinæ sanctitas ex-  
coluit perfecitqve. Cum enim in malos depravatos-  
qve mores statim ab ortu suo plurimi degenerent e-  
ducationis licentiā, multiqve pessimi evadant, non  
qvia tales fuerunt ab initio, sed qvia facti mali sunt  
fingentium informantiumq; culpā; Hinc enim fieri vi-  
demus, ut puellæ virginesq; nonnisi crinibus ornandis,  
disponeridis in capite fasciis, erigendis circa frontem  
turribus, adsvetæ, qvæq; nihil aliud didicerunt, qvam  
qvo pacto conversari cum viris, in choreis pulcrè  
ornatèqve saltare, fabulas, qvas Romanas vocant,  
ad incendendam libidinem natas factasqve, qvascunq;  
corradere possunt, nocturno diurnoqve studio legere,  
aliorūm aliarumqve famam in qvocunqve discursu  
rodere queant, vel pudicitiam suam proflituant, effi-  
cientqve id, ut ad matrimonia aut nunqvam aut ferò,  
ab iisdem morib; imbutis, qværantur, vel contra-  
etō conjugali federe nec asparagis qvidem, qvi tamen  
juxta proverbium sine ullā adhibitā operā citò co-  
qvuntur, apparandis sint aptæ, nec noverint qvic-  
quam nisi mariti opes dilapidare & maturam ei  
accelerare mortem; nostra certè illa degenerare  
ad hæc vitia non poterat, qvum nemo, qvi ean-  
dem inficeret corrumperetve, esset, qvæ semper  
à bōnis ad bohūm ducebatur, & nihil domi vide-  
bat temerè, qvam rectum & bonum. Quo factum  
est, ut neqve seculi indueret mores, si qvidem non-

nunquam involvi eidem contingere, neque putaret  
admittendum, quicquid domestica ratio atque censu-  
sura improbaret. Ad istam regulam cum adolevis-  
set, nec quicquam ei scientiae, ad rem familiarem pru-  
denter fructuosèque regendam, deesset, DEI nutu &  
parentum consilio JOACHIMO LINDEMANNO,  
Templi tum Petrini Diacono, dein Archidiacono Ma-  
riano, solenni ritu tradita nuptum & elocata feliçiter  
est. Erat hic vir jam tum egregius instrutus donis,  
à cuius ore Ecclesia haud aliter ac ab oraculo quodam  
pendebat & postea dextrâ muneric administratione  
majorem totius urbis applausum merebatur, præci-  
puum tamen in hoc conjugio fuit, quod concinerent  
mores & utriusque voluntatis instituta perpetuò, nec  
alter invenerit facile, de altero jure quod conqvereret.  
Accessit fœcunditas octocupo puerperio læ-  
ta. Genuit enim MARIAM ELISABETHAM, JO-  
ANNEM JOACHIMUM, DOROTHEAM MAR-  
GARETHAM, THOMAM ALBRECHTUM,  
DOROTHEAM AGNETHAM, JOACHIMUM,  
JOANNEM & EVAM. E quibus nunc quidem  
sola hæc ipsa supereft cognominis matri, ejusque no-  
vissimus labor, EVA, quæ defunctam genitricem su-  
am, memor tenerimi amoris, quem in illam per uni-  
versum vitae tempus effuderat, justo dolore prosequi-  
tur. Reliqui eidem præcipiti funere intenerâ ætate  
sunt erepti, si à filiâ primogenitâ & filio JOACHIMO  
discedas. Qvippe MARIA ELISABETHA in ma-  
trimonium primum data est M. MATHÆO LAU-  
RENTIO, Diacono Mariano, quem tamen ex bra-  
chiis suis alter statim annus subtraxit. Videbatur illä  
ex

ex irreparabili hoc naufragio rates quasdam collegisse, cum post obitum mariti filiam in lucem edidit, JOANNAM DOROTHEAM, quae carissimi conjugis memoriam refricare & solari dispendium posset. Sed breve & caducum gaudium mors statim iterum intercepit & juvenculam viduam in novum conjectit luctum. Ad secunda tamen postea vota transiit cum M. JOANNE MANZELIO, primum Græcæ in hac Academiâ Lingvæ Professore, dein Gymnasii Gustroviensis Rectore, postremo Synodi Darguno-Neocaldensis Præposito & hujus oppidi Pastore. Qvod matrimonium eo majori voluptate perfundere optimam matrem poterat, quo magis gener ipsi obtingeret, à tam eruditiois nequaquam vulgaris, à religione animi pietate, ab indefesso obeundi munera studio, communi quasi omnium ore laudatus. Nec enim hodie definit & Ecclesiam, fidei suæ creditam exempli sanctitate & puritate doctrinæ, & clarissima Synodi suæ membra prudentiæ gravitate & lenitate affectuum regere feliciter & ædificare. Huie LINDEMANNIA illa, cum quâ pacatissimum dulcissimumque ipsi intercessit consortium, sex progenavit liberos, è quibus neptes defunctæ nostræ binæ, binique nepotes, ILSABE EVA, JOACHIMUS, ANNA MARIA, & JOACHIMUS CHRISTOPHORUS, supersunt, virgines qvidem corporis animalique dotibus præstantissimæ, Filii verò optimis studiis moribusque imbuti & brevia ad Patris avique exemplum sacris DEO providente operaturi. Cum inverso naturæ ordine septennio abhinc ante matrem è vivis excederet MARIA hæc ELISABETHA, tantum

tantum vulnus inflictum EVÆ nostræ est, quantum  
vix cogitari potest. Cum enim liberos procreant ma-  
tres cum ingenti dolore, educant cum incredibili sol-  
licitudine, qvid aliud sperare vel possunt vel debent,  
qvam ut in tristi senio subinde ipsis aliquid iterum ad-  
fundant lætitiae & solatii? Quid attinet tot ipsorum  
causâ subire labores, devorare molestias, concipere  
spes & expectationes, si omnis hic splendor in-  
auspicatis mox tenebris suffocatur & hauritur? Po-  
terat tamen absensis filiæ jactura quadam animi forti-  
tudine tolerari. Successit aliud malum longe gravius  
& qvod in ipsa EVÆ nostræ præcordia, acutissimi  
gladii ad instar penetravit. Supererat senectutis ipsi-  
us baculus, deliciæ ipsius, immò unicus ipsius amor,  
JOACHIMUS Junior. Succreverat hic post mor-  
tem patris in amoenissimas corporis pariter, ipsâ ve-  
nustate amabilis, & animi virtutes. Qvotqvit in-  
tuebantur juvenem, prædicabant optimos mores,  
laudabant eruditionem, ipsam ætatem suam anteeun-  
tem. Præses ex cathedrâ quasi adolescens disputa-  
bat. E suggestu tantâ svavitate, tantâ eloquentiâ per-  
orabat, ut alterum se Chrysostomum audivisse, qvot-  
qvit verba ex ore ejus hauserant, pertinacissime asse-  
verarent. Collatus jam ei ob has dotes erat, quem  
& pater ornaverat, Marianus Archi-Diaconatus. In-  
genti semper confluxu ad illum audiendum concur-  
rerant docti, indocti, maximi, minimi, imi, summi.  
Qvando exhibant, admirabantur & stupebant. Ac-  
cessit in dignitatis augmentum Naturalis Philosophiæ  
& Metaphysicæ in Academiâ Professio & in comple-  
mentum Theologi Doctoris decus nomenq; me qvi-  
dem

dem pileum ipsi purpureum in iplâ Marianâ æde im-  
ponente. Ducebat magni Theologi, CHRISTIA-  
NI KORTHOLTI, filiam. Suscipiebat ex eâ AN-  
NAM ELISABETHAM, JOACHIMUM CHRI-  
STIANUM, JOACHIMUM HENRICUM &  
JOANNEM CASPARUM. Eqvibus prima ulti-  
musqve supersunt. Hæc tanta ornamenta ipsas pe-  
ctoris materni medullas afficiebant. Qvoties adspic-  
iebat , qvoties audiebat hunc JOACHIMUM, hunc  
DOCTOREM suum , toties juvenescerat. Nihil  
ei deerat hoc solo filio viso ad summam felicitatem.  
Nondum triennium elapsum est , ex qvo flos hic tam  
viridis, tamq; delectabilis subito exaruit. Exhorru-  
erunt ad tam inopinatam fati vim universi & ego  
qvocve seqventi epicedio memoriam ejus percolui:  
*Ingenio fueras nulli, LINDMANNE, secundus,*

*Vivida vis, ardor, mens animosa Tibi.*

*Dicendiq; lepos, terfa facundia lingua,*

*Seu Latio cuperes, seu patro ore loqui.*

*Fulmina vibrabas, stillabas mella favosqve,*

*Venit ad arbitrium prompta loquela Tuum.*

*His accessisset tantis si dotibus usus,*

*Usus, qui recto tramite cuncta docet,*

*Ferventes motus qvitemperat & benè reddit*

*Moribus innocuos & pietate graves,*

*Olim maiores inter, LINDMANNE, fuisse*

*Doctores, inter luminam magna schola,*

*Ast aliter sapiens Ratorq; Ratorq; Scholarum*

*B Disposuit,*

*Disposuit, solum quem pia terra colit.  
Hujus in aetheriam præcepis subtractus es aulam,  
Nunc inter cœli sidera clara nites.  
Quicquid in hoc mundo est, magnum licet, omne  
caducum est,  
Ipsaque mens hominis, non peritura, perit.*

EVA verò nostra atrociori se clade sensit percussam, qvam ut vivere amplius posset. Christiana qvidem fuerat, noveratq; , qvâ reverentiâ deceret adorare Divinæ voluntatis abyssum. Sed altius tamen hic dolor artibus omnibus infederat, qvam ut expelli posset, aut reprimi. Videbatur in mortuo corpore qvodammodo spirare langvida anima & ex eo tempore nil nisi discessum meditari. Non audiebantur ab eâ nisi hæc voces: JOACHIME, quo abiisti? Ubi abes, JOACHIME? Non Te amplius, JOACHIME, videbo, corculum meum, animula mea? Itane Te moriente, qvi vita mea fuisti, vivere possum, JOACHIME, anus exangvis & misella? His suspiriis, his qvestibûs reliqvum, qvod in ipsâ erat, vitæ trahebat, per hoc, qvod præteriit, biennium. Poterat cum Paulo dicere: *quotidie morior!* Unicum supererat, qvod illam sustentabat, solatium, amantissima nurus, eum nepote & nepte, in qvibus, svavissimè coram aviâ ludentibus, reviviscere nonnunquam videbatur JOACHIMUS & resumere ipfa spiritum. Qvandoq; & unica, qvæ supereft filia, EVA Junior, nupta HENRICO DUGGENIO, Cœnobii Generosarum Virginum Malchoviensis Administratori, cum duplici coniugalis

jugalis amoris pignore, EVA CATHARINA & JO-  
ACHIMO HENRICO, peregrè advenerunt, ma-  
tri aviæque ab blandientes. Ita, qvod ex Divino con-  
silio in hoc orbe transigendum ipsi restabat tempus,  
œu & antea facere semper consverat, Divinarum  
rerum reverentissimæ meditationi, freqvntationi  
templi Mariani, vivacissimâ utriusq; JOACHIMI  
voce totiesq; animati, indeffeso pro omnibus  
hominiibus orandi studio, beneficentia pauperibus &  
adflictis exhibitæ, reliqvarumq; Christianarum virtu-  
tum exercitio, qvibus illam ab ineunte ætate deditam  
fuisse tota urbs nostra novit, impehdit. Ita rectâ pla-  
nâque viâ ad mortem processit. Qvam excellen-  
tissimus Medicus seqventibus momentis repræsen-  
tat: *Morbum vidua Lindemanniana senioris*, quo  
admodum nuper defuncta est, si senectutem dixeris, omnem  
me dixisse suspicor. Septuagenaria quippe nec animus  
tot sollicitudinibus, tot fortuna procellis agitatus, vale-  
bat, nec tot annis grave corpus poterat suslentari. Annus  
est & quod excurrit, quando non adeò per silentium ad  
ipsos exacta etatis terminos se pervenire ex virium de-  
fectu & membrorum langvescente industria apprimè sens-  
it, sed ultimis præsertim mensibus, ventriculo officium su-  
um negante, immo repudiane oblata, collapsa sunt vires  
adeò neceſſarie, & accedentes sat importune ultimis die-  
bus dolores nephritici acutissimi virium residuum omne ex-  
hauserunt. Attuli his malis, qvas potui, consolationes,  
attuli stomachica, svasti cardiaca, atculi blandimenta var-  
ia, sed minimum usus, minimumq; profectus ars mea  
habuit, nec animus inde vigorem suum, nec corpus sania-

B 2

latens

tatem recuperavit, sicque illa fatis statis, parum robore  
habens, placide obdormivit. Finiit ergo EVA, plu-  
rimorum ex se vitam recipientium mater & ipsa  
qvoqve nunc cum Deo vivit in æternum. Cumqve  
ex obitu ejus & singulari ornamento civitas & imi-  
tando honestis qvibuslibet fœminis exemplo univer-  
sus orbatus sit sexus, eò libentius exeqvias, CIVES,  
pietissimæ matronæ celebrabitis; ne clarissima fa-  
milia solatio necessario careat & Vobis humanitatis  
pietatisqve laus hac qvoqve in parte abunde constet.  
Nec etiam usqvam alibi qvam inter funerum dedu-  
ctiones commodior ampliorve utilissimæ de com-  
muni omnium hominum exitu & Christianâ ad eun-  
dem præparatione commentationis datur occasio.

Scr. Rostochi Sub Sigillo Rectoratus Aca-  
demici, d. XIX, August,  
MDCCI.

*Convenietur in æde Marianâ horâ primâ  
pomeridianâ.*











nunquam involvi eidem contingere, r  
admittendum, qvicqvam domestica rati  
sura improbarer. Ad istam regulam c  
set, nec qvicqvam ei scientiæ, ad rem far  
denter fructuosèque regendam, deesset,  
parentum consilio JOACHIMO LINI  
Templi tum Petrini Diacono, dein Arch  
riano, solenni ritu tradita nuptum & el  
est. Erat hic vir jam tum egregiis ins  
à cuius ore Ecclesia haud aliter ac ab ora  
pendebat & postea dextrâ muneric ad  
majorem totius urbis applausum mereb  
pium tamen in hoc conjugio fuit, quo  
mores & utriusqve voluntatis instituta  
alter invenerit facile, de altero jure qu  
retur. Accessit fœcunditas octocuplo  
ta. Genuit enim MARIAM ELISABE  
ANNEM JOAGHIMUM, DOROTH  
GARETHAM, THOMAM ALBI  
DOROTHEAM AGNETHAM, JO  
JOANNEM & EVAM. E qvibus  
sola hæc ipsa supereft cognominis matri  
vissimus labor, EVA, qvæ defunctam g  
am, memor tenerrimi amoris, qvem in  
versum vitæ tempus effuderat, justo do  
tur. Reliqvi eidem præcipiti funere i  
sunt erepti, si à filiâ primogenitâ & filio  
discedas. Qvippe MARIA ELISABE  
trimonium primum data est M. MAT  
RENTIO, Diacono Mariano, qvem t  
chiis suis alter statim annus subtraxit,

DISYPPH

ex irreparabili hoc naufragio rates qvasdam collegisse, cum post obitum mariti filiam in lucem edidit. JOANNAM DOROTHEAM, qvæ carissimi conjugis memoriam refricare & solari dispendum posset. Sed breve & caducum gaudium mors statim iterum intercepit & juvenculam viduam in novum conjectit luctum. Ad secunda tamen ostea vota transiit cum M. JOANNE MARIA, primum Græcæ in hac Academiâ Linneanâ in Gymnafii Gustrovianis Recepti di Darguno - Neo-Calderus Pastore. Qvod perfundere optimo ipsi obtingeretur, à reliquo ineris studiis. Nec editam clarissima state & lenitate. Huie LINNDEM pacatissimum dulcissimumq; consortium, sex progenavit liberi neptes defunctæ nostræ binæ, binique natus ALSABE EVA, JOACHIMUS, ANNA MARIA, & JOACHIMUS CHRISTOPHORUS, supersunt, virgines qvidem corporis animi q; dotibus præstantissimæ, Filii verò optimis studiis moribusq; imbuti & brevi ad Patris avi q; exemplum sacris DEO providente operaturi. Cum inverso naturæ ordine septennio abhinc ante matrem è vivis excederet MARIA hæc ELISABETHA, tantum

